



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvatris, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

147. Dominica 4. post Pascha. De Gloria Animæ beatæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

256 *Sabbato Dom. 3. post Pasch.*

6. Major Ei debetur sensuum externorum gloria: quia omnes modestiâ superavit.

7. Major Ei debetur phantasiæ, intellectus, memoriæ, voluntatis beatitas: quia, si DEVS erit omnia in omnibus, magis id erit in ea, de qua carnem assumpsit: & quia majori gratiæ major succedit gloria. O quantum sentio desiderium veniendi ad coelum, ut tam pulchram DEI Matrem videam! O quàm confundor, quòd pro tam vilibus rebus patiar mihi eripi visionem Divæ! O execrabiles abusus sensuum, & potentiarum mearum, unde propter momentaneas delectationes æterna mihi damna infero! Renovabo propter aureolas illas vota (si quæ habeo) Mortificationem carnis, decreta patiendi, zelandi salutem animarum: quia hæc tria mihi dabunt majorem in caelis gloriam.

MEDITATIO CXLVII.

*Dominica 4. post Pascha,*

*De Gloria Anima beate.*

**C**oncipiam animo beatitatem, quam debet facere id, quod melius est: & ad quam duo requiruntur, juxta illud August. l. 13. de Trinit. c. 5. *Beatus est, qui habet omnia que vult, & nihil mali vult.* Petam agnoscere felicitatem meam, & consequi.

*Conf. 1.*

*Dominica 4. post Pascha. 257*

*Cons. 1.* Quòd felix propriè dicatur, qui habet in potestate sua bonum majus, quod haberi potest, & meliore modo, quo haberi potest: atqui non datur majus bonum, quàm sit **DEVS** summum bonum, & omne bonum, nec datur melior modus eum possidendi, quàm per cognitionem, intellectu, & visionem: quia perfecta possessio rei est usus ejus, sed usus semper fit per cognitionem, quod experimur in materialibus, & sensibilibus, quorum usum habere non possumus, nisi per cognitionem, quam de ijs acquirunt sensus externi, visus, auditus, gustus, tactus, odoratus: **DEVS** autem, cum sit bonum spirituale, neque per sensus possideri queat, possideretur per cognitionem intellectus, cui se donat per visionem suam, atque ita hominem facit beatum, primò, quia post esse nostrum nihil habemus melius vitâ, nec quidquam est melius vitâ, quàm cognitio, nec datur cognitio melior, quàm sit visio **DEI**, qui est ens à se intellectivum.

*Cons. 2.* Quomodo **DEVS** faciat hominem beatum per lumen Gloriæ, quod comitatur visionem **DEI**: Sicut enim lux pandit oculis res coloratas, quæ sine lucis ope videri non possint, sic qualitas lumen gloriæ dicta, quam Deus producit in intellectu beato, pandit infinitam lucem divinæ essentiæ beato,

beato, sicut acumen ferri totum ferrum promovet in durissimum robur: vel sicut acumen intellectus naturalis inducit ad veritates intelligendas, ut sunt: sic lumen gloria elevat intellectum, ut penetret usque ad esse Dei. Deus est lux infinita, omnem facultatem intellectus creati extinguens: cum ergo debeat esse proportio inter objectum, & potentiam, Deus luce supernaturali in Beati intellectu productam attemperat lucem suam increatam. O quanta potentia lux hæc est, quæ invisibilem Deum facit visibilem, & dat possessionem Dei solo visu, sicut lux solo visu possidetur. Si visio clara Dei beatum facit in celo, visio obscura per fidem beatum faciet in terra. Illi beati videndo, nos beati credendo, & sic, ut ait Augustinus. 13. in Joan. *Deum tibi totum est, magis nobis jam in Venerabili totum est.*

*Conf. 3.* Laudabo Dominum ob largitatem, 1. quia Justi accipient gloriam corporis, & animæ, & utriusque partis perfectione cumulabuntur. 2. Quia certos & securos eos reddet de non amittenda in æternum felicitate. 3. Quia videbunt sibi omnia conversa in bonum, mala & bona, propria & aliena. 4. Quia gaudent de felicitate aliorum ac de sua, unde tam multipliciter lætantur, quam multiplex est bonorum felicitas. 5. Quia

*Feria 2. Dom. 4. post Pasch. 259*

Quia gaudent, se diligi à Deo, & de bonis Dei, nihilque aliud noverunt, nisi intueri, amare, & gaudere.

MEDITATIO CXLVIII.

*Feria 2. post Domin. 4. post Pascha*

*De consequentibus visionem  
beatam.*

Sicut presente Sole omnia pulcherrimè colorantur, sic viso DEO inquit D. Greg. l. 4. dialog. c. 31. *Quid est, quod non videant, qui videntem, omnia vident.* Petam hoc bonum intelligere, & consequi.

*Conf. 1. Quomodo Beatis vitaliter repræsentabitur DEVS, & omnia, quæ sunt in DEO, & à DEO: ita, ut quidquid in DEO est, totum in Beato repræsentetur, & quidem primò gloriosa essentia DEI cum perfectionibus inherens infinitis, infinite perfectis, quòd sit à se independenter, quòd in se contineat omnem perfectionem, quòd per se producat omnem creaturam: sed imprimis videbunt mysterium SS. Trinitatis, sicut est.*

*Conf. 2. Quomodo in Beato repræsentabitur gloria extrinseca DEI, altera beatæ visionis pars: videbunt enim DEVM agnoscere, amari, honorari ab omnibus, sed super omnia ab Humanitate Christi, deinde à SS. DEI Matre, tum ab Angelis, & Sanctis omnibus*